[velo]citas celebritatem, salubritas uoluptatem. Quibus omnibus sola beatitudine desiderari liquet. Nam quod quisque prae ceteris petit, id esse summum iudicat bonum. Sed summum bonum beatitudinem esse definiuimus. Quare beatum esse iudicat statum quem prae ceteris quisque desiderat. Habes igitur ante oculos propositam fere formam felicitatis humanae, opes, honores, potentiam, gloriam, uoluptates. Quae quidem sola considerans epicurus consequenter sibi summum bonum uoluptatem esse constituit, quod cetera omnia iucunditatem animo uideantur afferre. Sed ad hominum studia reuertor. Quorum animus etsi caligante memoria tamen bonum suum repetit, sed uelut ebrius domum quo tramite reuertatur ignorat. Num enim uidentur errare hi qui nihilo indigere nituntur? Atqui non est aliud quod aeque perficere beatitudinem possit quam copiosus bonorum omnium status nec alieni egens sed sibi ipse sufficiens. Num uero labuntur hi qui quod sit optimum id etiam reuerentiae cultu dignissimum putent? Minime. Neque enim uile quiddam contemnendumque est quod adipisci omnium fere mortalium laborat intentio. An in bonis non est numeranda potentia? Quid igitur? Num imbecille ac sine uiribus aestimandum est quod omnibus rebus constat esse praestantius? An claritudo nihili pendenda est? Sed sequestrari nequit quin omne quod excellentissimum sit id etiam uideatur esse clarissimum. Nam non esse anxiam tristemque beatitudinem nec doloribus molestiisque subiectam quid attinet dicere, quando in minimis quoque rebus id appetitur quod habere fruique delectet? Atqui haec sunt quae adipisci homines uolunt eaque de causa diuitias, dignitates, regna, gloriam, uoluptatesque desiderant, quod per haec sibi sufficientiam, reuerentiam, potentiam, celebritatem, laetitiam credunt esse uenturam. Bonum est igitur quod tam diuersis studiis homines petunt. In quo quanta sit naturae uis facile monstratur, cum licet uariae dissidentesque sententiae tamen in diligendo boni fine consentiunt.

Quantas rerum flectat habenas
Natura potens quibus inmensum
Legibus orbem prouida seruet
Stringatque ligans inresoluto
Singula nexu placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.
Quamuis poeni pulchra leones
Uincula gestent manibusque datas
[Captent es]cas metuantque trucem

Resides olim redeant animi
Fremituque graui meminere sui
Laxant nodis colla solutis
Primusque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.
Quae canit altis garrula ramis
Ales caueae clauditur antro.
Huic licet inlita pocula melle
Largasque dapes dulci [studio]